



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Deum mirabili ratione in homine armando vsum fuisse. Colloq. LXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Deum mirabili ratione in homine ar-  
mando usum fuisse.*

## COLLOQUIVM LXI.

**A**GE nunc & illud considerare- THEOL.  
mus, quomodo videlicet sic-  
ut liberalitas Creatoris im-  
mensa fuit, ita quoque ipsa ratio  
qua eam exercuit, admirabilis fuisse  
videatur. Enimvero cum homo di-  
uinae bonitatis potentiaeque imagi-  
nem sibi impressam accepisset, &  
eam propter praerogatiuam, Rex v-  
niuersi salutatus fuisset, conueniens  
omnino erat ijs eum armis instrui ac  
muniri, quae nihil hanc diuinam i-  
maginem impedirent, & non minus  
comis ac mansueti, quam potentis  
validique Principis ei titulum no-  
menque tutarentur. Hinc ergo sin-  
gulari Dei consilio factum est, ut ab  
vna parte innumerabili armorum  
vi sepiatur, quo nimirum fortis ro-  
bustusque audiat, utque ab altera  
nudus & inermis conspiciatur, quo  
facilius constet benignum illum hu-  
manumque esse oportere: nam si à  
natura corporis ille quaedam praesi-  
dia

*Non con-  
ueniebat  
hominē  
armis  
naturalibus in-  
strui.*

dia accepisset, & Taurorum instar cornua, more aprorum dētes, ut vrsi ungulas fuisset consecutus, reuera iam non ad hominis sed bestiae armatae similitudinem accessisset, & non Principis, sed vas illi, sed clientis, sed mancipij formam sortitus videri potuisset; Atque si etiam diuersissimorum istorum armorum habitu mundum hūc introiisset, quod tu eum monstrum, quod portentum existimauisses? Nam si infans qui vnicorno tantum cornu nascitur adeo monstruosus terribilisque est, quid tu homine futurum fuisse arbitraris, qui cornua, qui dētes, qui rostrum, ungulas & caetera animantium arma in se vnum collata circumtulisset? an non ille potius crudelem, immanem, sanguinariūque Tyrannum, imo cacodemonem, & infernalem verius Furiam quam legitimum Principem in huius orbis theatro acturus fuisset iudicatus? Iam verò dum ab vna parte inermis aetatem exigit, simulacrum habet non modò legitimi ac naturalis Principis, qui hilari ac serena fronte ita subditos se suos gubernaturum

spon-

spondet ut quàm longissimè à quacumq; Tyrânide ferociaq; sit abhorriturus, sed imaginem pariter viuâque Dei Ter Opt. effigiẽ præ se fert: dumq; ab altero latere innumeris rationis armis, & manuum præsidijis instruitur, luculenter potentiam suâ demonstrat, qua ius suum persequi potest, ubi à subditis ei manifestè viderit derogari. Intuere mihi nunc hoc loco etiam, atq; haud aliquantò accuratius mentis læce trutina, quomodo liberalissimus ille totius Vniuersitatis monarcha dona sua distribuerit, quamque ea prudenter in diuersas creaturas congesserit: Angelis enim cum Spiritus meri sint, spiritalia arma fuit elargitus, intellectum videlicet ac voluntatem, quibus instructi in suis certaminibus fortiter rem gererent ac administrarent. Bestijs humilem terrestremque tantum animam fortitis vires eas adiunxit, quæ à corpore ceu vase suo auelli separarique non possunt. Homini verò anima immortalis prædita & ad sui similitudinem facta, pulcherrimè omninò eas commiscuit,

*Tria armorum genera.*

cuit, partim spirituales ipsi elargiendo, dum plenam ei potestatem millefariam se defendendi indulfit: partim corporea adiumenta suppeditando, dum totius vniuersi res ei subiecit, è quibus quæ vellet fabricari posset, itaque omnibus iuxta vti, nihil vt inde impedimentorum animæ corporive obijciatur. Patet nunc ergo iniquè hanc querelam à nonnullis deponi, qui hominem solum inermem relictum fuisse affirmant, faciendumq; illud potius esse, nostram vt aut cœcitatem fateamur, si necdum in oculos manifesta Creatoris liberalitas nobis incurrit, aut certè ingrati nostri animi vitium accusemus, si ei paria reponere conari non volumus, aut denique iniquitatem nostram detestemur, si non modo gratos ei nos non exhibemus, sed ijs etiam viribus & subsidijs contra leges diuinas abusum imus.